

**Tentamen medicum inaugurale, de variolis inserendis : quod annuente
summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi
Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non
amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis
medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus
et privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit
Georgius Bachmetiev, A. M. Moscoviensis, Societatis Regiae Medicae
Edinburgensis Socius Extraordinarius, Ejusdemque ad acta edenda ab
electis, Nec non Societ. Natur. Stud. Edinb. Praeses Annuus.**

Contributors

Bachmetiev, George.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh, 1786.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c7vg6343>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4

T E N T A M E N M E D I C U M
I N A U G U R A L E,
D E
V A R I O L I S I N S E R E N D I S.

Q U O D,
A N N U E N T E S U M M O N U M I N E,
E x A u c t o r i t a t e R e v e r e n d i a d m o d u m V i r i,

D. G U L I E L M I R O B E R T S O N, S. S. T. P.

A C A D E M I Æ E D I N B U R G E N Æ P rae fecti;

N E C N O N
A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n f i n s u ,
E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C Æ d e c r e t o ,

P R O G R A D U D O C T O R I S,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S E T P R I V I L E G I I S
R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;

E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

G E O R G I U S B A C H M E T I E V, A. M.

M O S C O V I E N S I S,

S o c i e t a t i s R e g i a e M e d i c a e E d i n b u r g e n f i s

S o c i u s E x t r a o r d i n a r i u s ,

E j u s d e m q u e a d a c t a e d e n d a a b e l e c t i s ;

N e c n o n

S o c i e t . N a t u r . S t u d . E d i n b . P r a e s e s A n n u u s .

Æque pauperibus prodest, locupletibus aequo;

Æque neglectum pueris senibusque nocebit.

H O R A T .

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I :
A p u d B A L F O U R e t S M E L L I E ,
A c a d e m i a e T y p o g r a p h o s .

M,DCC,LXXXVI.

Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria.

CICERO.

CATHARINÆ II.

AUGUSTISSIMÆ ET POTENTISSIMÆ

OMNIUM RUSSIARUM

I M P E R A T R I C I,

&c. &c. &c.



Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b24928987>

CLEMENTISSIMA

IMPERATRIX,

CARMINIBUS Vatum divinis,
Historicorumque scriptis fidissimis, summas
qui in posterum laudes de TE TUISQUE
factis dicentes sunt consecuturi, sit ista TUA
gloria nominis ac sempiterna fama deman-
data ;

data ; dum consiliis **TE** pariter et armis
imperii fines augentem, leges, per tot gentes
diversas, clementissimas justissimasque sanci-
entem, patriasque literas **TUIS** ipsius
scriptis ditantem et illustrantem, concele-
brant, **TUUMQUE** demum exemplum,
QUAM jam nunc universa Europa
miratur, posteris regibus imitandum pro-
ponunt !

ponunt ! Mibi enim ingenio tam infirmo
minime convenit id aggredi, cui vel summi
vix ingenii vires sufficiant. Neque enim
IMPERATORIAM ISTAM
MAJESTATEM TUAM, quam
TU non armis solum decoratam, sed et
legibus armatam, esse voluisti, sibi pro
meritis collaudandam quis facile suscep-
erit ;

rit ; neque victorias tot et tantas, quas,
“ *TE consilium, et tuos praebente Divos,* ”
Populus Russicus clarissimas reportavit,
rite dicere qui potuerit, nisi qui divino quo-
dam ingenio instinctus sit, et veluti concita-
tus. *Quae vero regio, quisve populus,*
clarissima TUA facta non agnoscit quoque
et collaudat ? TUIS enim sub auspiciis,
OPTIMA

*OPTIMA PRINCEPS, Russici
Imperii vires eo usque crevere, uti totas fere
Asiae Septentrionalis nationes, dimidiam-
que ipsius Europae partem, TUÆ di-
tioni jam adnumeres. Quin et Chersonese-
sum istam Tauricam, barbaræ olim gentis
pedibus conculcatam, in libertatem, ditio-
nemque TUAM vindicasti, artibusque*

*excolendam, humanitate informandam,
mercibusque ditandam, suscepisti. Quantam
autem in legibus condendis, quamque glo-
riam TIBI immortalem peperisti ; quum
per immensas istas regiones pacem et secu-
ritatem subjectis TUIS undique concilias,
ac culpam poena premat comes ! Sed ne-
que bellica tantum gloria laudibusque civi-
libus*

libus contenta, patrocinium quoque literarum in TE, ac veluti tutelam, suscepisti; in Petropolin T U A M, sicuti in quandam Musarum arcem, doctissimum quemque arcessisti; Russicaeque juventutis florem per varias Europae gentes, bonis literis instituendae, artibus quibusque utilissimis erudiendae, cognitioneque

nitioneque naturae scientiisque exornandae,
ad patriam famam tum sustinendam, tum
amplificandam, undique dimisisti. Haec
summa TUA laus est, quamque parem
nemo antea princeps est unquam consecu-
tus. Hic eorum TUI regni historiam
conscriptentium exultet triumphetque ora-
tio oportet. Me vero hisce tantis adesse
decet

dat, decet mirantem, laetantem, tacentem. Quid
tum enim rudi mea ac incondita voce opus
est, inter tot gentium concentum, ac plau-
dente **TIBI** orbe terrarum! Est ta-
men hoc mihi vel omnium gratissimum, et
in quo semper gloriabor, quod, Mu-
nere ac Beneficio **TUO**, has tenues
meas

*meas TIBI, SANCTISSIMA
PRINCEPS, studiorum primitias
vovere licuerit. Sera in coelum redeas,
diuque apud populum TUUM verseris,
gentis Russicae saluti consulens, gloriam
ejus famamque tuens, atque felix denique
regnans inter felices ! Haec DEUM*

IM-

VECTIMENTA SURROB

*IMMORTALEM adnixe pre-
catur*

*SACRÆ TUÆ
IMPERATORIÆ MAJESTATIS,*

Subjectus devotissimus,

Humillimusque,

GEORGIUS BACHMETIEV.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

VARIOLIS INSERENDIS.

NULLA quam medicina erroribus
est scientia magis obnoxia, ne-
que ulla in alia error adeo nocet. A-
liis enim rebus studentium animos fal-
sa pariter ac vera sententia delectat, lo-
cum forsan praebitura opinionibus in-
geniosis fingendis, quae, dum a vero
aberrent, neque ordinem tamen causa-

A

rum

rum mutare, neque vim earum conturbare valent. Variae hinc philosophorum sectae ab antiquissimis usque temporibus floruerunt, quarum aliae alias sibi disciplinas instituendas, siue que commendandas, curarunt.

Nullum vero ex hac doctrinarum successione, dum sibi quaeque invicem in suos arrogabat imperium, res publica humana detrimentum capiebat. At in medicina longe aliter res se habet. Hic enim quae falsis nititur rationibus curatio vitam ipsam tollit.

Haecce ad errorem proclivitas magna certe ex parte variae isti multiplicique machinae, qua in studenda ars nostra versatur,

verfatur, tribuenda est. Mihi vero licet et aliam quoque erroris hujusc rationem afferre, ex eo nempe quod novis saepe remediis novisque curandi consiliis, utcunque salutaribus, adeo pertinaciter et stolidè resistatur, Qua autem de causa novis istis remediis methodisque quorum vis et efficacia recenti quoque experimento confirmantur, adeo resistitur, non facile dictu est. An quod quae labore quaeruntur inviti relinquimus? An quod quas dudum jam fovemus opinionibus haecce remedia methodique adversantur? Cavendum quidem est, ne novarum rerum cupidi ea amplectamur quae nocitura sunt. Quid autem? An ex hisce solummodo quas rationes allegavimus,

optimis

optimis istis remediis, Opio, nempe, Mercurio, Corticique Peruviano, adeo olim resistebatur? An ratio ex his solis reddenda est, cur Sydenhamo sagaci variolis tam feliciter medenti sui temporis medici adeo violenter obstatabant? Quis vero non dolet, viros alias excellentissimos bellissimae isti maximeque salutari infisionis inventioni, de qua nobis hic agendum est, tam fortiter adversatos esse; quum nulla sit felicior medendi via ab hominibus unquam excogitata? Quae ad inventum hocce praestantissimum pertinent in unum colligere, ac pro viribus illustrare, summos artis medicae honores, secundum almae nostrae academiae instituta, ambiens, mecum decrevi.

Ante

Ante vero quam modum morbi communicandi artificialem attingam, brevem ipsius morbi historiam contexam oportet, quippe quae ad infestationem quoque explicandam haud parum conferat.

Variolae, quod plerisque * nunc videntur, non multis abhinc seculis innoverunt, quum apud antiquos, quibus nulli accuratiores in morbis suorum temporum describendis, nulla hujusc morbi descriptio † extet. Apud A-
fros

* Boerhaavio, Van Swieten, Mead, et fere omnibus de hac re hodiernis scriptoribus.

† Vide Van Swieten Comment. in Boerhaavii Aphor. Tom. v. p. 2.

fros *, praefertim vero in Æthiopia, originem suam cepisse dicitur, annis fere † sexcentis post natum Christum ; atque Afia in Europam una cum profligatis fidelium turbis, qui bello sacromerebant, migrasse. In variis deinceps Europae regionibus vel mitius vel faevius hicce morbus invaluit ; paucos autem impune demittens quos semel adortus est.

Duplicem quandam variolarum divisionem

* Vide Meadii Librum de Variolis et Morbillis,

p. 7.

† Secundum Reiske. Vide Mead de Var. &c.

p. 3.

sionem medici * instituerunt, in variolas nempe *discretas confluentesque*.

Variolae † discretæ cum rigore quodam et horrore incipiunt, quae magno deinceps calore, capitis et dorfi dolore vehementi, vomitione, inque adultis ad sudandum proclivitate, ac in regione quoque epigastrica, simul ac pressa sit, doloris quodam sensu, excipienda sunt. Eruptio, diem circiter quartum post morbum inceptum, aliquando

* Sydenhamus, aliquie.

† In tradendis variolarum signis, auctoritatem Sydenhami, qui de medicis, propter suam admodum luculentam hujusc morbi descriptionem, optime meretur, secuti sumus. Vide ejus opera universa, Lugd. Batav. anno 1741 edita, p. 132. et alibi.

quando serius, rarissime autem citius, appareat. Nunc quae eruptionem antecedebant symptomata vel multum mitigantur vel prorsus evanescunt ; nisi quod proclivitas ad sudandum adhuc maneat. Macularum subrubicardium formam, aculeorum puncta referentium, eruptio primum induit ; quae maculae hic et illic circa faciem, seu cervicem, sive pectus, atque per totum denique corpus prodeunt. Dolor simul in faucibus sentitur, qui cum pustulis surgentibus vehementior fit. Pustulae majorem in molem indies crescunt, inque fastigia surgunt. Cutis vicinaeque corporis partes rubore et inflammatione afficiuntur. Diem circiter octavum, a primo morbi insultu, vesicula

vesicula quaedam, fluidum subflavum continens, supra pustulae cujusque apicem appareat. Post diem undecimum, inflammatio minuitur, pustulaeque arescant, deciduntque: Ac circiter diem decimum quartum, sive quintum, prorsus abeunt. Quum pustulae decidint, squamulae quaedam oriuntur, foveas saepe post se relinquentes. Per totum morbi cursum alvus aegro astringitur. Sub hac potissimum facie variolae regulares et benignae se ostendunt.

Eadem symptomata eruptionem antecedentia, multum vero saeviora, variolas confluentes sive malignas comitantur, nisi quod aegro non eadem ad

fudandum proclivitas adfit, quodque diarrhoea eruptionem aliquando praecedat, ac per aliquot post dies perficit. Citius hic fit eruptio, die nempe tertio vel etiam ante, nunquam autem serius, nisi vi symptomatis cuiusdam peculiaris eruptioni obstetur. Quanto citius pustulae prodeunt, tanto magis fore inter se se confluant, videtur. Signa eruptionem praecedentia adhuc manent, neque quicquam mitigantur. Hic et pustularum ipsarum forma *discretarum* pustulis dissimilis videtur, atque alia magis exanthemata referunt, veluti erysipelas morbillosque. Procedente morbo, pustulae non in molem quaeque distinctam et evidenter crescent, sed aliae in alias implicitae conglobantur,

globantur, faciemque vesiculae grandioris totam partem tegentis, colore subfuscō, quaeque, prout saevit morbus, magis nigra fit, sibi induunt. Post diem octavum, colorata magis et hirsuta cutis evadit, donec et ipsa squamulis grandioribus decidat, quod, in variolis malignis, raro ante diem vigesimum quartum accidit, forma corporis facie que pustularum cicatricibus saepe laceata. Praeter haec, et alia duo symptomata sunt, variolis confluentibus propria, salivatio scilicet in adultis, inque infantibus diarrhoea.

Haecce salivatio fere simul cum eruptione conspicitur, nonnunquam ante, aliquando post; diemque circa undeci-

decimum, gradatim minuitur, dum et tumor quoque vultus decedat, manus mox invasurus. Diarrhoea non aequo cito infantes, ac ptyalismus adultos adoritur ; quocunque autem tempore incipiat, morbum per cursum reliquum comitatur.

Duos hunc in modum hujuscemodi morbi status raptim exhibui, neque longius progredi, vel symptomata anomala examinando, vel etiam quae communia sunt plenius explicando, quos mihi finis, ex operis natura, imposui, finunt. Variolae enim naturales opus sibi proprium vindicarent. Qui igitur morbum hac sub forma dignoscere cupiunt, Sydenhamum, aliosque scriptores praticos,

ticos, adeant. Mihi enim, utpote qui satis jam in limine differui, ad modum istum morbi sano corpori communicandi, quae vocatur insitio, festinandum est.

De indole vero morbi pauca quae-dicenda sunt; quippe quae cognita et ad morbum inferendo communicandum et insitum tractandum multum conferant. Quanquam autem copia hic mihi detur eruditionem quandam medicam ostentandi, dum vel aliorum hypotheses proferre vel refutare licet, ab Rhaze isto, qui primus * de hoc morbo scripsit, ad viros deinceps clarissimos,

* Vide Friend's History of Physic, Tom. ii. p. 190.

uti Hoffmannum, Violente, Hahnium, aliosque progrediens, nullam tamen hujusmodi rationem inire statui. Quos enim alii errores errarunt, praesertim quum quae eos refellant argumenta in libris inveniantur, quorum cuique copia est, et scriptorem pariter recensere piget, et lectorem perlegere. Sententiam igitur istam quae potissimum vallet, quaeque ponit materiam variolosam in fluida nostra uti fermentum agere, eaque ad naturam suam assimilare, solummodo hic referre in animo est.

Quoniam haecce opinio, quae alias aliis temporibus facies * induit, multis morbi

* Vide sententias quas circa hujus morbi natu-
ram

morbi phaenominis analogiaque chemica stabiliatur, fidem sibi haud immerito conciliavit. Sunt autem quae ei objiciantur ; quorum pauca nunc proferam.

Neque enim, si variolae ex fermentatione penderent, atque fluidorum nostrorum exinde assimilatione, quicquid esset causae, cur hicce processus, simul ac inceperit, unquam desineret, quum chylus systemati perpetuo suppetat, atque in sanguinem ejus nutriendi causa convertatur, ac nova semper materia sic fermenti variolosi actioni subjiciatur.

Fermen-

ram Rhazis, Sydenhamus, multique alii protulerunt.

Fermentationem non esse morbi causam ex aliis quoque rebus colligitur. Qum enim, quod aliquando accidit, mulieres gravidae variolis correptae morbum cum foetu in utero * non communicent ; vel † quum infans in lucem editus

* Talis casus narratur in epistola Boerhaavii ad Baffandum. Vide Swieten Comment. in Boerh. Aphorif. Tom. 5. p. 72. Similes quoque casus inveniuntur apud Phil. Trans. abridged, Tom. iii. p. 308. et Mead de Variol. et Morb. p. 65. &c.

† Talis autem casus, in Comment. de Rebus in Scient. Natur. et Medicinae Gestis Lipsiae, Vol. xxiii. Pars i. ex Freid. Christ. Stolleris Observ. Medic. &c. desumptus hisce verbis refertur : ‘ Fœmina, quae puerperii calamitates faepius feliciter erat passa, neque tamen variolis laboraverat, edita aliquando partum, mortuum quidem, veris tamen variolis obfessum. Post octo annos autem, ipsa variolis confluentibus est affecta.’

editus variolarum pustulis coopertus fit, dum mater, nunquam antea correpta, immunis evadit, neque nisi multo post tempore hocce morbo plectatur; in hisce casibus fermentatio vix causa esse videtur, quoniam ex fluidis matris et foetus adeo inter se connexis, aliisque ex aliis mutuo pendentibus, nulla ratio reddi potest, cur alter immunis evadit alterve corripiatur.

Praeterea, sanguis ipse solus, si naturae contagionis assimilatus esset, morbum infitione communicare debet. Quumque hac de re dubitarem, experimentum instituere quo certior fierem decrevi, quod tamen exsequi non po-

tui, variolis eo tempore hac urbe * ex-
ulantibus, neque quenquam inveni cui
volenti eas infererem. Hoc autem ex-
perimentum sine successu institutum
postea didici, auctoritate nifus illustris-
simi Baker†. Ac, ne plura dicam, quum
nec ex hac hypothesi, neque quacun-
que ex alia, quam scio, ratio fat pro-
babilis reddi possit seu systematis adeo
mutati, uti labem variolosam non ite-
rum accipiat, sive morbi ad cutem pro-
pulsi; hypothesis ideo ipsa parum suf-
ficit, atque hinc falsa aestimanda est.

Quoniam viros tot clarissimos hu-
jusce morbi causa adhuc latuit, adoles-
centi

* Edinburgo.

† Vide Baker, Inquiry into the Merits, &c. p. 7.
Lond. 1766.

centi certe artem suam in limine salutanti, esse dedecori nequit, et ipsum causam latere. Medici vero prudentis, morbi causam ignorantis est, ejus effectus diligenter perspicere, operamque suam navare, ut saevitiam eorum mitiget cohbeatque. Ac in variolis morbum * inflammatorium hi effectus constituere videntur, ad corporis superficiem praecipue tendentem. Diathesis haec phlogistica ex febris natura fatapparet, quae synocha † est; et ex effectibus

* Vide Illustriss. Cullen, First Lines, Vol. ii.
p. 127. edit. ult.

† Hujuscce febris definitionem Clariss. Cullen his verbis complectitur: ‘ Calor plurimum auctus,
‘ pulsus frequens, validus, et durus; urina rubra;
‘ sensorii

fectibus salutaribus quos regimen antiphlogisticum rite adhibitum edit. Quumque morbi omnes inflammatorii in morbo prorsus contrario, debilitate nempe, definere possunt, variolae non nunquam malignae vel confluentes evadunt, in quibus febris, cui typhi * natura est, debilitatisque signa alia manifesta, methodum aliam medendi, quam quae in statu inflammatorio adhibebatur,

: séniorii functiones parum turbatae.[†] Vide ejus Synopsin Nofol. Method. &c. Gen. iv.

† Idem. cel. vir hanc typhi definitionem tradit : Morbus contagiosus ; calor parum auctus ; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens ; urina parum mutata ; séniorii functiones plurimum turbatae ; vires multum imminutae.[†] Vid Gen. v.

hibebatur, nunc esse adhibendum indicant.

His igitur generaliter de morbo positis, ad infisionis naturam particularem examinandum nunc accedam.

Infisionis inventio, sicuti et multae aliae inventiones utiles, forte fortuna*, quod videtur, obvenit, quum nec inventorem, neque quo demum tempore sit inventa, novimus. Circassenibus † autem haec inventio tribuitur, atque ex Graecia deinde per totam Europam

* Vide Kirkpatrick's Analysis of inoculation, &c. p. 106.

† Vide Mead de Variol. et Morb. p. 74.

ropam migrasse dicitur. Quum primum in Europam infitio allata esset medico-rum alexipharmicorum perniciofa methodus variolas tractandi apud multos adhuc valuit, quae funestam morbi naturam adeo augebat, ut tum recte diceretur,

“ Quaesitaequa nocent artes ; cessere magistri,
 “ Phillyrides, Chiron, Amythaoniusque Melampus ;
 “ Saevit et in lucem Stygiis emissâ tenebris
 “ Palida Tisiphone—————
 “ Inque dies avidum surgens caput altius effert *.”

Nihil igitur ad strages, quas hic morbus edidit, cohibendas magis apta quam infitio videbatur. Attamen multum ei
 utcun-

* Vide Virgilii Georgica, Lib. iv. l. 549.

utcunque salutari resistebatur. Pravam hanc de infitione opinionem refutavit experientia, tempus vicit, atque morem salutarem late jam per gentes propagavit. Regiis enim exemplis infitio nunc fancitur, ex quibus nullum magis omni laude dignum quam quod SAPIENTISSIMA RUSSIAE IMPERATRIX, ante populi sui oculos, exemplum edidit, quum, suam populi saluti salutem postponens, IPSA fere prima omnium SESE infitioni subjiceret, eamque illustrissimi hujus exempli ope per fines imperii propagaret.

Si quis putet infitionem, utcunque salutarem, adversum variolas iterum ingruentes non valere, opus Doctoris

Baylies * Regis Borufforum Archiatri,
adeat; quod si perlegerit, quaeque a
Doctoribus Archer †, Watson, et Ba-
rone Dimfdale ‡, de infitione dicuntur,
aliorumque|| multorum sententias, quae
hic

* Vide ejus Facts and Observations relative to
Inoculation in Berlin. Edin. 1781.

† Hicce cel. vir. affirmat, in Epistola ad Doctorem
Baylies scripta, quae in p. 5. operis jam citati inve-
nienda sit, se nunquam novisse aliquem per secun-
dum vicem, post infisionem variolis laborantem,
quanquam sub cura sua in Nofocomio ad variolas
curandas et infisionem exercendam Londini insti-
tuto, praeter alios, viginti sex mille aegros habui-
set.

‡ Hi cl. viri longa et lata experientia edocti ean-
dem sententiam confirmant.

|| Baker, Bromfield, Monro senior, plurimique
alii.

hic afferri poffunt, simul conferat, prejudiciis renunciet oportet. Sin autem nil eum eorum auctoritas moveat, quae a me hic fint dicenda certe minime valebunt. De infitione capitibus sequentibus differemus.

I. Quo praefertim vitae tempore infitio fieri debet;

II. De aegri cui variolae inferendae sunt constitutione;

III. De anni tempestate infitioni maxime accommodata;

IV. Quae ante infitionem debent parari;

V. Quae ad inferendum materia se-ligenda est;

VI. Quae, durante infectione, tra-tatio esse debet;

Quaerendum est.

I. Quo praesertim vitae tempore in-sitio fieri debet.

Quum, ut ante notavimus, contagio variolosa morbum inflammatorium ci-eat, qui variolas inferunt aetatem if-tam feligere debent, si penes eos sit se-lectio, in qua scilicet inflammatio fa-cillime vincitur. Infantiam infisioni esse maxime accommodatam pariter ip-sa ratio et experientia demonstrant; et,
quan-

quanquam infitio felicissimo cum successu sit quocunque vitae tempore * saepe adhibita, nulla tamen aetate felicius fieri, quam ex duobus a natu annis ad usque pubertatem medici † notarunt. Ante vero quam infans fit duos annos natus, prudentis est infitionem vitare. Praeter enim morbos varios, quibus haec aetas est obnoxia, qui que variolas saeviores reddere possunt, convulsiones, nempe, variaeque canalis alimentarii affectiones, et quod admodum difficile sit hujusci aetatis infantibus

* Vide Schultz's Account of Inoculation, &c.

p. 4. Dimfdale, aliique.

† Vide Dimfdale's present Method of Inocul.

p. 9. et Cullen's First Lines, Vol. ii. p. 152.

infantibus suadere ea quae necessaria
sunt per morbi cursum assumere, hoc
quoque timendum est, ne quae ex ne-
cessitate inflammatio fit tenues fuos
spiritus teneraque corpora pervellat
exhauriatque, ac variolarum speciem
quandam malignam edat, quoniam hif-
ce infantibus plures pustulae * adnaf-
cuntur, quam in maturioribus fit. At-
tamen, si morbus adeo valeat, ut diffi-
cile fit eum via naturali ingruentem
repellere, ad infisionem hic, summa ta-
men cum cura, confugiendum est, ne
infectionis naturalis periculum infans
subeat. Post annum aetatis secundum
elapsum, quanto citius infanti variolae
infe-

* Vide Dimfdale's present Method of Inocula-
tion, p. II.

inferuntur tanto melius, quum, et foras exire infantes tum cupiunt, et necessitas saepe fit eos huc et illuc gestandi, unde morbo naturali obnoxii evadunt. Cursus enim morbi in infantibus plerumque adeo mitis est, ut infestatio juste et sine periculo adhibeatur. Et puberes majoresque natu quoque variolarum adhuc expertes infestatione quamprimum uti debent; quippe quae neglecta et formae et ipsae vitae olim noceat. Neque enim quod morbum adhuc effugerint ideo certum est, nihil post periculi subituros, praesertim quum

“ Quid quisque vitet, nunquam homini fatis

“ Cautum est in horas ;”

quumque

quumque insitio feliciter omni vitae tempore adhibita sit.

II. Quae fit aegri cui variolae inferendae sunt constitutio.

Quo quisque sanior sit, eo facilius morbum quemcunque feret. Quibus igitur firma corporis constitutio contingit, facile iis medicus auxiliatur. Sed multi sunt quibus non eadem est felicitas, quos diligentissime curare medicum oportet. De nullis tamen nisi de morbis chronicis hic nobis dicendum est; neque enim sana mente quis in animum induxerit variolas cuivis morbo acuto laboranti inferere. Qui vero morbo chronicō

chronico laborant liberius * tractari possunt, quam olim existimatum est, ex argumentis forsan eorum qui infitioni obstatant, quique scrophulam, aliosque morbos corpori inherentes variolis insitis excitos, esse ponebant. Haec autem aliaque argumenta experientia delavit; ac, contra, comprabatum est, tales corporis habitus aliquando in melius esse post variolas conversos †; quumque scrophula aliisque pravi habitus cursum variolarum mitem ‡ exhibuerint,

* Vide Cullen's First Lines, Vol. ii. p. 150.;
Bromfield's Thoughts, &c. p. 6.; Dimsdale's present Method of Inoculation, p. 12.

† Vide Cullen's First Lines, Vol. iv. p. 364.

‡ Vide Cullen, Bromfield, Dimsdale, ut antea citatos.

rint, hinc colligitur, eos hoc modo af-
fectos, pro infectione communi, mitio-
rem quendam morbum subituros, dum
rite ad morbum recipiendum paren-
tur; mulieribus etiam gravidis infitio *
adhibita fuit; sed, hoc nisi res ipsa fla-
gitet, haudquaquam fieri debet.

III. De anni tempestate infitione maxime accommodata.

Ver et autumnus, utpote anni tem-
pestates mitissimae, caeteris tempestati-
bus anteponi solebant. Attamen mi-
nime hoc experientia comprobatum
est; plures enim pustulae ex verna † in-
fitione

* Vide Dimsdale on Inoculation, &c. p. 21.

† Vide ejusdem operis, p. 14.

sitione quam aliis tempestatibus saepe proveniunt; autumnusque *, ob morbos varios epidemicos, qui tunc saeviunt, non sat tutus habendus est. Ad infisionem tamen quocunque anni tempore † confugi potest, dum sedulo cauteatur ne vel summus calor, vel frigus sumnum, adsit.

IV. Quae ante infisionem debent fieri.

Olim in usu fuit eos, quibus variolae inferendae erant ante mensem ‡ circiter

* Vide Baker's Inquiry, &c. p. 6.

† Cullen's First Lines, Vol. ii. p. 153.; Dimfdale on Inoculation, p. 6.; Bromfield's Thoughts, &c. p. 26.

‡ Vide Kirkpatrick's Analysis, &c. p. 302.

circiter quam infitio fiebat praeparare. Brevius aliquanto nunc fit, et nullum fortassis incommodum oriretur ex intervallo etiam breviore introducto. Qum enim praeparatio praecipue constet regiminis antiphlogistici usu, per dies certe novem vel decem *, quod commune est, constitutio corporis vel firmissima attenuetur oportet; periculumque imminet ne constitutio nimis fracta in variolas confluentes irruat †. Casus isti pauci funesti, qui infitionis nascentis culpandae ansam praebuerunt,

ad

* Vid. Dimfdale on Inoculation, p. 18. ; Baker's Inquiry, &c. p. 6.

† Bromfield quoque putat, nimiam praeparationem saepe nocere. Vide Thoughts arising, &c.

ad longam hanc praeparationem sunt fortassis referendi. Variolas ipse quibusdam non ante praeparatis inferui, quod et multis in aliis factum vidi, quibus omnibus morbus contingebat mitissimus *. Verum etiam ii qui firmissimi sunt, et quibus ideo praeparatio necessaria videtur, diaeta tenuiore victantes, atque unum alterumve diem cibo a carne confecto abstinentes,

prius-

* Illust. Baro Dimsdale tamen ipse, in opere suo ultimo, cui titulus, Tracts on inoculation, &c. Londini anno 1781 edito, se variolas saepe inferuisse sine ulla praeparatione, et nihil exinde incommodi observasse refert; Vide p. 125. et seq. Feli-
lices quoque infisionis effectus sine praeparatione videre licet apud Monro senior. Account of Inoculation in Scotland, p. 18.

priusquam insitio fit, ab omni diathesi
inflammatorio liberabuntur.

Mercurialia, praesertim mercurius *
dulcis, cum stibinis conjuncta, uti pro-
priae praeparationes plerumque adhi-
bitae sunt. Haecce remedia ex hoc:
fortassis originem suam deducunt, quod
Boerhaavius † arbitratus sit horum me-
tallorum conjunctionem antidotum es-
se adversus virus variolosum. De hoc:
vero effectu peculiari dubitare licet.

Neque aliter, nisi ut evacuans, mercu-
rius dulcis agere potest. Sed, quum
tormina mercurius saepe gignit, et

pauca

* Dimsdale on Inoculation, p. 18.; Kirkpa-
trick, Baker, multique alii.

† Vide Aphor. 1392.

pauca quidem ejus copia ptyalismum aliquando cieat, laxativum pro eo substituere magis e re esset, cuius operatio minus debilitans et refrigerantior evaderet, uti tartari crystalli, aliique falsoles neutrales. Talis praeparatio firmioribus et magis plethoricis convenit; sed, in infirmioribus tenuioribusque, alia tractatio requiritur. Iis diaeta generosior, vinique usus moderatus, prout res poscit, concedi potest *.

Noctu opii exhibitio, durante praeparatione, in utroque casu, ad morbum mitigandum conferre possit. Opium enim, quod notum est, irritabilitatem

fensi-

* Vide Dimfdale on Inoculation, p. 20.

sensibilitatemque minuit; ideoque verisimile est, hoc remedium utile fore ad actionem contagionis variolosae frangendam, corpus ejus effectibus minus obnoxium reddendo.

Infusio facta inter menses mulierum nihil nocet *. Sin autem possit infusio differri, melius est, quum inter menses fieri minime iis gratum sit.

V. Quae materia fit feligenda, et quo pacto adhibenda sit.

Medici olim arbitrantur esse maximi momenti materiam infusioni rite accommodatam

* Vide Dimsdale, p. 21.

modatam feligere ; infectionem variolam opinantes et alios morbos corpori ejus, cui materia detracta est, inherentes posse communicare. Experientia docti, hanc opinionem esse falsam reperimus, materiamque, aegris aliis morbis laborantibus detractam, so-
las variolas * communicasse, materiamque quoque, de variolis malignis detractam, speciem mitem † edidisse. Prudentis tamen est, materiam ei detrahere omni exceptione majori ; quanquam ex iis quae diximus videtur, nihil opus esse, rebus urgentibus, attentione admodum scrupulosa. Neque multum

refert

* Vide Kirkpatrick's Analysis, p. 172. et Monroe senior, Account of inoculation in Scotland, p. 44.

† Kirkpatrick's Analysis, &c. p. 167. et seq.

refert materiae variolosae maturitas, quum vel humor maxime * exiguus de pustula detractus ad morbum communicandum satis valeat. Idem quoque dicendum est de hoc, an materia aegro variolis naturalibus an insitivis paretur, locus ubi inserta fuit materia omni alio a nonnullis † preeponitur. Materia adhuc recens certius quidem agit; attamen, etsi scalpello aliquantum servatum, halituque vel aquae calidae vaporibus ante madefactum, quam adhibetur, variolas pariter ciet.

Quod

* Dimsdale on Inoculation, p. 27.; Baker's Inquiry, &c. p. 9.

† Dimsdale, p. 28.

Quod ad ipsam operationem attinet, quae a Barone Dimsdale descripta fit, ea optima videtur *. Sagax ille medicus incisionem tenuem scalpello, cuius punctum materia variolosa imbuitur, in parte brachii carnofa, ita ut cutem tantum veram attingat, faciendum vult, parvique deinde vulneris labia aperienda, materiamque variolosam ibi deponendam, scalpellum super orificium abstergendo. Incisiones similes fieri possunt una alterave parte brachiorum amborum, ad majorem securitatem. Vulnera tunc sine ulla curatione relinquenda sunt †.

* Vide Dimsdale's present Method of Inoculation, p. 24.

† Idem, et Baker's Inquiry, p. 9.

VI. Quae, durante infectione, tractatio esse debet.

Simul ac infectio incipit, eadem fere symptomata occurrant, quae in variolis naturalibus, quaeque antea descripta sunt. Mitiorem tamen prae se ferunt faciem ac ut plurimum discreta sunt. Attamen infisionem variolae confluentes, quamquam raro, interdum excipiunt, quod ad majorem systematis proclivitatem in putredinem ruendi fortassis referendum est *. Quae hic obveniunt symptomata, eadem quoque sunt, ac in variolis via naturali allatis.

Post infisionem factam, ut omnis calor aegro longe absit oportet. Atque

ut

* Vide Cullen's First Lines, Vol. ii. p. 161.

ut quam maxime regimine antiphlogistico utatur. Quod ad infirmos tamen debilesque attinet, iis magis, prout res postulat, indulgendum est.

Non nisi die secundo post factam infestationem infectio appareat *, et tum, operamen lendifis, contractio videtur cutis circumcingentis, maculaque flava circa incisionem. Hoc morbi tempore mercurii dulcis praeparationem sub quavis forma, exhibere in usu † fuit. Eadem autem objici possunt mercurio hic adhibito, ac antea in praeparationibus. Immo et magis periculosus hic usus eius est, quippe qui pravos effectus edere possit,

* Vide Dimsdale's present Method of Inoculation, p. 30. et 31.

† Idem, p. 31.

possit, os nempe frigori expositum lae-
dendo, dum mercurius operetur. Ea
tamen frigoris commoda sunt, uti re-
frigeratio interpellata non facile com-
pensaretur ullo commodo ex mercurio
dulci quaerendo; praesertim quum opí-
nari liceat, remedium istud eo maxime
prodeesse, quod vi sit praedita purgativa.
At, pro eo remedia alia, aeque efficacia,
sales nempe neutrales, fennam, man-
nam, jalapam, &c. substituere possu-
mus.

Die * quarto vel quinto post vario-
las insertas, pruritus quidam ab aegro-
fentitur

* Quae de progressu infectionis narrantur, ex
auctoritate Dimsdale praeципue scripsimus. Vide
Dimsdale on Inoculation, p. 30. et seq.

sentitur ea in parte qua fiebat infitio,
quae inflammata videtur, duraque tac-
tu est. Simul parvula pustula, fluidum
lucidum continens, est videnda. Diem
circiter sextum dolor quidam et rigi-
ditas in axilla sentitur, quod plerum-
que pro bono felicique omine habetur;
quia symptomata eruptiva cito adve-
nire hinc colligitur, morbiique lenita-
tem in futurum tunc licet augurari.
Die septimo, vel, quod saepius, die oc-
tavo, symptomata febrilia eruptionem
antecedentia, levis scilicet capitis do-
lor dorsique etiam dolor se invicem
excipientes, rigores quoque et calores
alternantes, apparent. Hoc etiam tem-
pore, sapor ingratus halitusque foetidus
interdum notantur. Diem circiter de-

cimum

cimum vel undecimum, efflorescentia
quaedam circularis, mole majore vel
minore, partem incisionis externam
circumambiens, plerumque invenitur,
qua visa, symptomata cuncta molesta
magna ex parte, evanescunt.

Hunc cursum tenet morbus insitivus
apud aegros plerosque, quo tempore
symptomata adeo mitia sunt, ut vix o-
peram medicinae postulent, nisi quod
tenui diaeta opus sit, purgatioque,
quum e re videatur, exhibita, una cum
aqua frigidae usu libero, aegro fitienti,
utque aere frigidiusculo corpus expo-
natur *. Quod ad hocce remedium,
frigus

* Vide Cullen's First Lines, Vol. ii. p. 163. ;
Dimfdale on Inoculation, &c. p. 35. et seq.

frigus nempe, pertinet, quae exinde
beneficia derivanda sunt a viris illuf-
trissimis * adeo comprobata sunt, ut
nihil amplius a me ad efficaciam ejus
stabiendi possit afferri. Per totum
morbi cursum, corporis frigori exposi-
tio multum prodest; sed praecipue huc
confugere oportet ante symptomata e-
ruptiva, quae saepe symptomata tan-
tum mitigat, ut, nisi ex pustulis postea,
morbus vix ab aegro sentiatur. Aeger
nunquam in lectum relegandus est, sed,
quam maxime fieri potest, absque fati-
gatione, aeri semper aperto credendus.
Sic aegri plerumque recreantur, mem-
bra somno refoventur, cibique app-
tentia

* Monro senior, Cullen, Dimsdale, Baker, et alii.

tentia excitatur. De corporibus tamen tenellis, tempestate praefertim saeviente, sedulo cavendum est. Si frigore laedantur, potionibus cardiacis aegri refovendi sunt. Post eruptionem completam, diaeta fortior adhiberi licet, donec gradatim ad pristinum victitandi morem aeger denique restituatur.

Haec sufficiunt ad generalem curandi methodum in aegris plerisque, quae plurimum ad morbum mitigandum vallet.

Exempla tamen quaedam sunt morbi, vel ex ipsa aegri constitutione corporis, vel ex aliis rebus quibusdam non vitandis, in pejus indies ruentis. Ac morbi

morbi futuri naturam constituere nonnulli conati sunt, ex signis quae pars ista cui insitio fit, exhibere solet *. Pravam variolarum speciem exinde augurantur, quum mutatio ea in parte tarda sit, quumque incisio, pro rubro et inflammato colore, pallescit, marginesque ejus plani sint, neque molestus quicunque sensus adsit. Haec morbi facies interdum ad usque diem quintum vel sextum permanet, adeo ut dubium sit an insitio succefferit necne. Inflammatio his in casibus liberiore purgationis usu augetur ; quae tamen non sine discrimine adhibenda est ; animum enim

G fedulo

* Vid. Dimsdale on Inoculation, p. 30.

sedulo ad febris naturam, corporisque
robur, advertendum est.

Quando morbus infitivus morbum
naturalem refert, eadem curandi me-
thodus, quae morbo naturali convenit,
instituenda est. Si inflammatio multa
sit, evacuantum magis assidua exhibi-
tio, regiminisque antiphlogistici, adhi-
beatur oportet; quumque pulsus durus
fiat, ac symptomata multum augentur,
etiam ad venaefectionem est configi-
endum *. Emetica † quoque multum
profutura sunt; quoniam peculiaris sto-
machi affectio, durante morbo, ea indi-
care

* Cullen's First Lines, Vol. ii. p. 163.

† Ibid.

care videatur. Convulsiones epilepticae, durante febre eruptiva, interdum obveniunt, quae semel tantum vel bis ingruant, vespere eruptionem praecedente, plerumque secunda esse censentur. Sin autem saepius et plures ingruant, adversae aestimantur, ac quam primum repellendae sunt. Ad hoc efficacendum, nihil aptius illuſtriss. Cullen * reperit, quam opium in larga dosi administrare. Post eruptionem completam, ad nulla fere remedia configendum est, nisi symptomata perſtent vehementia, quod, si fiat, si que inflamatio magna sit, regimen antiphlogisticum adhuc adhibendum est.

Si

* Cullen's First Lines, Vol. ii. p. 164.

Si debilitas vero plurima sit, ac fluidorum status putrefscens, quales variolas malignas plerumque comitantur, corticis Peruviani tunc, vinique aliquantum exhibendum est, aegroque accidis nitroque saepe * utendum. Sunt qui opiata † a quinto morbi die ad usque finem adhiberi, volunt ‡. Epispastica multum profundit ad symptomata quaedam mitiganda, qualia sunt, fauicum affectio, deglutitio difficilis, salivaeque excretio gravis.

Quum efflorescentia erysipelati similis per universum pandatur, multum periculi

* Vide Gullen's First Lines, Vol. ii. p. 166.

† Idem.

‡ Idem, p. 167.

periculi affert; quod ad depellendum, a frigore nimio abhorrere, et ad remedia tonica configere, aegrum * oportet. Hunc in modum generalem morbi tractationem instituere sum aggraffus. Symptomata quidem anomala quaedam non retuli; quippe quae, quum eadem iis non sit semper facies, non facile describantur, quaeque igitur prudentiae medicorum, sicut e re videatur curandae, commendentur oportet.

Haecce morbum applicandi methodus, applicatumque curandi, morbum adeo mitem lenemque efficit, uti nemo fere

* Vide Dimfdale, p. 45.

fere nunc hoc morbo tollatur. Neque vitam solam tuetur insitio, verum pulchritudinem quoque formamque conservat. Morbus enim antea hicce saevus, si vitae quando aegri pepercisset, foeda saepe vulnera post se reliquit, adeo ut formosissimis antea pulcherrimisque, in quos, ob formam venustram, omnium oculi conversi sunt, facies turpis et deformis fieret. Ne vultus hoc modo deturpetur, multae sunt inventiones excogitatae; quum autem in vultu tegendo plerumque versentur, quod necessario calorem ea in parte accumulat, inutiles omnino esse videntur, neque quicquam unquam commodi certioris exinde provenit. Sed, ut frigus, debito modo adhibitum, ad morbum mitiorem

mitiorem reddendum adeo valet, haud improbabilis videtur, quod frigida subinde vultus lavatio ad faciem confervandam multum conferre possit.

Hisce generalibus de morbo jam perfectis, necessarium fortassis videatur, quae demum sit variolarum infitivarum lenitudinis causa inquirere. Atque hic silentio praeterire non possum quam hac de re Doctor Gardiner, Collegii Regii Medicorum Edinensis nuper Praefes, sententiam protulit. Ante vero quam eam tradiderim, liceat mihi publicam hanc occasionem arripere meum in illum animum gratissimum, ob multa ista commoda, quae per quatuor annos, jam domo ejus utens, ex confiliis

consiliis amicis, praeceptisque doctis,
accepi, testandi ; quod et lubentius fa-
cio, quoniam tanta est viri humanitas,
modestia, tamque alta eruditio, ut ne
vel adulationis suspicio esse possit. Vir
hicce ingeniosus putat, contagiones
omnes per salivam in stomachum re-
cipi, primumque et ab initio in istud
organum agere. Quae vero ad hanc
sententiam confirmandam argumenta
ab illo allata sunt, ea hic referre non
possum ; sed ad ipsum opus * lectorem
remitto. Lenitudinem igitur variola-
rum infitivarum huc referendam esse
censet, quod in partem minoris mo-
menti,

* Vide Gardiner, Observations on the Animal
Oeconomy, &c, Edinburgi anno 1784 edit.

menti, quam est stomachus, earum contagio primum * agat ; quum, contra, variolae naturales, si contagio in stomachum recipiatur, in sistema generale durius quoddam efficiant necesse est ; ob multam sensibilitatem, magnamque hujusc organi cum aliis corporis partibus sympathiam. Haecce sententia, quum admodum verisimilis sit, causam variolarum insitivarum leitudinis quadam ex parte indicare videtur. Ad quaestionem tamen plenius solvendam, huc quoque spectare oportet, quod nempe morbum cito advenire ante cognovimus, atque quod hinc corpus ei ingruenti praeparare

H possimus.

* Vide operis jam citat. p. 101.

possimus. Hinc quae variolas minus noxias possunt efficere nobis ante suppetunt, quaeque eas adaugent, possimus vitare. Hinc timore, aliisque animi pathematis, quae contagiones faeviores reddunt, resisti potest, ac quae mala edunt diaeta regimenque prava vitantur.

F I N I S.